Continentur hoc Volumine scripta haec:

1) J. Craig Theologiae christ. principia mathem. ed. Sitius quibus Sitii autoris nonnulla praefat. est.

2) Gud. Nicol. christ. principia illustrat & de valore testimonii humani nonnulla subjicit Sitius

3) Kaestner de eo quod studium matheseos facit ad virtutem

4) —— de habitu matheseos & physicae ad religionem.

5) —— theoria radicum in aequationibus

6) —— formulam Cordani aequationum cubic. radices omnes tradens

7) —— Aequationum cubic. resolutio Newtoniana per series

8) Esthenbach de serierum reversione.

9) Kaestner unde plures insint radices aequationib. sectiones angulorum definientib.

10) —— de resolutione aequationum differentialium per series.

11) J. C. Klausmann de lineis spiralib.

Gartz
Ln.

22.

IOANNIS CRAIG

PRINCIPIA THEOLOGIAE CHRISTIANAE MATHEMATICA

ILLVSTRAT

ET

DE VALORE TESTIMONII HVMANI

NONNVLLA SVBIICIT

SIMVL

AD AVDIENDAM

ORATIONEM

QVA

MVNVS

PROFESSORIS MATHEMATVM INFERIORVM

PVBLICVM ORDINARIVM

CLEMENTISSIME SIBI DEMANDATVM

D. XXIII. APRIL. MDCCLVI

AVSPICABITVR

HVMANITER ET OFFICIOSE

INVITAT

IOANNES DANIEL TITIVS



IO. CRAIGII *Princip. Theol. Christ. Mathem.* nuperrime editor ſupplere pollicitus ſum, ſi qua occurerent animaduerſione digna; in praeſens ſeruare in eo opus eſt, quod dixi, fidem. Nonnulla enim praeterquam quod ſupereſſe eum addenda tum illuſtranda intelligebam; interea temporis, quo librum foras dedi, homo quidam Germanus peculiari ſcriptiuncula tam grauiter CRAIGIVM reprehendit, vt eius ſcribendi rationem moleſte ferrent boni omnes, ſi illum ſcirent illuſtrandi magis quam vituperandi ſtudio et cupidine ad ſcribendum acceſſiſſe. Ille enim, qui CRAIGII libellum nunquam vidit, hoc non contentus, vt leuitatem quaeſtionis, et nugalia, vt putat, in libro comprehenſa illudat, inſuper falſiſſima quaeuis acutiſſimo viro imputat, grauiter in eum inuectus, ac ſi ſua mente motus eſſet, aut per vſum matheſeos ingenio abuti ſuo didiciſſet. CRAIGIVM nempe loquentem inducit, his verbis vſum: *Probabilitas ſemper decreſcit, pro ratione temporis, quod effluxit inde ab ea aetate, qua vixerunt teſtes, quorum autoritate noſtra*

fides nititur. Vnde religionis Christianae probabilitas non diutius est duratura, quam ab initio huius saeculi per 1455. annos, postea eius nulla erit fides, nisi Christus aduentu suo interuenerit. Horum, quemadmodum hic allegantur, cum nihil in *Principiis Theol. Math.* reperiatur, sic sententiam Craigianam ne bene quidem recensitam esse, animaduertendum est. CRAIGIVS probabilitatem decrescere non tantum pro ratione temporis dixit, sed pro numero etiam testium et distantia locorum. Quod diserte monet autor*, et ego in praefatione mea passim indicaui. Deinceps Vir Doctissimus probabilitatem non religionis Christianae, sed historiae Christi calculo determinare est annisus: quae, licet arctissime sibi iuncta, alterumque sine altero cogitari haud possit, non tamen vnum idemque sunt, nec in computo Craigiano substitui sibi inuicem possunt. Rideretur, qui, historiae Christi probabilitate CRAIGIO duce inuestigata, repertam a se religionis Christianae probabilitatem crederet. Namque si quis alius, certe CRAIGIVS bene perspexit, historiam Christi, quatenus tanquam factum aliquod singulare, idemque historicum, consideratur, calculi leges, specie quadam, subire; quamuis sanctissima illa doctrina, quae in hoc ipso facto posita et in systema redacta est, ab eiusmodi legibus prorsus abhorreat. Interim huius erroris maiorem poenam daret homo Germanus, nisi illustrem correum haberet BAYLIVM, ante complures annos eodem argumentandi modo vsum, et probabilitatem historiae Christi cum probabilitate religionis Christianae mire commiscentem**. Subtilis, fateor, haec admodum est distinctio,

* *Pag. 39. Cap. I.*

** *Lettres de Mr.* BAYLE *Tom. III. pag. 1142.* edit. DE DESMAIZEAUX à Amst. 1729. Verba

ſtinctio, neque a me probanda, quod fundamenta ſanctiſſimae noſtrae religionis, et fidei articuli, hoc modo facile argumenta mere hiſtorica exiſtimentur eſſe. Huiusmodi ſunt illa momenta, de quibus CRAIGIVS ab aduerſario Germano eſt poſtulatus: nempe quod teſtes praetermiſit, tam diuinos quam humanos; ſigna a Deo data propterea vt verus inde redemtor mundi Chriſtus aeſtimaretur; et tandem experientiam et pericula cum Chriſto eiusque ſalute facta. CRAIGIVS autem, dum de hiſtoria eiusque probabilitate ratione temporis elapſi agit, teſtes numero tantum computat, poſthabitis eorundem integritate, fide, ſanctimonia. An aliter potuerit, dicere non auſim. Dicere tamen audeo, vindicem Germanum, quo maxime modo agi cum CRAIGIO conueniat, ignoraſſe. Quodſi enim, vt fecit, hiſtoriae Chriſti Deum teſtem ponit vnum et omnium primum, eius autoritas tantundem valet, ac ſi teſtes eſſent numero infiniti, aut vnus autoritatis infinitae. Quare in aequatione *Prop. XXX.* poſita $c = \infty$ valor aequationis $cz + (n - 1) f + \frac{T^2 k}{t^2}$ nunquam ad nihilum decreſceret, aut quod idem eſt, probabilitas hiſtoriae Chriſti nullo vnquam tempore euaneſceret. Hac quidem ratione ſuo iugulare gladio Scotum Germanus potuiſſet, eius computi indolem ſi perſpectam habuiſſet. Idem dicendum de angelorum teſtimoniis a Germano in ſubſidium adductis. Sed de his locus non eſt hic vlterius

 diſſe-

huc pertinentia ſunt: *Un Mathematicien Ecoſſois, nommé Craig, a publié à Londres un petit Ecrit latin - - - où il a calculé la force et la diminution des choſes probables - - - en ſe ſervant de calculs algébraiques il prétend trouver, que la probabilité de la religion chrétienne peut durer encore quatorze cent cinquante-quatorze ans: après quoi elle ſeroit nulle; mais Jeſus Chriſt, par ſon ſecond avenement, préviendra cette eclipſe.*

differendi, nec alia adducere volo momenta, in quibus aduersarius omnino falsus, et erroribus CRAIGII retegendis et emendandis intentus ipse in errores lapsus est. Et CRAIGIVM certe *Anglum* non nuncupasset, si legisset, quae in praefatione mea super patria autoris ostensum iui.

Quod ad computum pro determinanda historiae cuiuscunque probabilitate attinet, eundem ex arbitrio Autoris esse confictum quilibet videbit. Eodem vti solent mathematici in doctrina de lapsu grauium. Haec me ratio impulit, vt aliquando cum Excellentiss. KAESTNERO, a quo nihil vnquam discere volui, quod ille docere non potuisset, collocutus, CRAIGIVM putauerim quemcunque alium computum aeque facile adhibere potuisse; v. c. reciprocum augmentum et decrementum coordinatarum in hyperbola. Neque dissimulaui, videri mihi rationem, quae intercedit inter magnitudinem laterum polygoni et inter numerum eorundem, similem imaginem decrescentis probabilitatis et augescentis proportionaliter annorum numeri exhibere; quinimo formari computum posse, (v. c. per motum lineae alicuius nonnullas alias rectas aut curuas pro ratione puncti mobilis diuersimode secantis) vbi valor probabilitatis per rationem compositam ex auctis annorum testiumque numero et locorum distantia, simul exprimeretur; cum CRAIGIVS quodlibet eorum separatim in diagrammatibus suis oculis subiecisset. Regessit autem Vir Amplissimus, omnes huiusmodi calculos, quorum forte alii pro arbitrio effingi possent, ideo incertos et insufficientes fieri, quoniam decrescere probabilitatem in ratione auge-

augeſcentis annorum numeri et diſtantiae locorum, falſiſſimum eſſet.

Craigivs ad inueniendum voluptatis cuiuſcunque valorem, peculiari vſus eſt et ingenioſo computo, (*Prop. XXV.*) qui fundamentum *doctrinae moralis* continet, ab illuſtri Academiae Scientiarum Berolinenſis Praeſide ante aliquot annos in lucem editae. Ille enim quantitatem voluptatis exprimit per productum intenſitatis in durationem, hoc eſt $v = rn$ (*cit. loc.*); et illuſtris Malapertivs verbis haec reddit: *Eſtimation des momens heureux ou malheureux eſt le produit de l'intenſité du plaiſir ou de la peine par la durée.** Vnde facile illa ipſa erui poſſunt conſectaria, quorum magnum numerum in eminenti ſcripto vir illuſtris ſuppeditauit: v. c. Bonum eſſe ſummam momentorum felicium; malum ſummam ſimilem momentorum infelicium. Felicitatis quantitatem haberi, ſi a ſumma omnium bonorum mala ſubduxeris; infelicitatem vero, bonis omnibus a malorum ſumma ſubtractis.

In *Prop. XXIX. ſeqq.* nonnulla occurunt, quae negotium faceſſere iis poſſunt, qui methodos quadrandorum ſpatiorum curuilineorum non ſatis callent. Horum in gratiam, ad illuſtrandam hanc autoris propoſitionem quae faciunt, pauciſſimis dabo. Per quadraturarum methodos notiſſimas in *Prop. XXIX.* allegatas, illas intelligit, quas ipſe ſcriptis olim expoſuerat. Nempe ex methodo inueniendi tangentes Sluſiana demonſtrauerat, in quacunque linea curua rectangulum ex ſubnormali et ſubtangente aequari

* *Eſſay de Philoſophie morale*; dans les *Oeuvres de Mr.* Mavpertvis, edit. de Dreſde, in 4. *pag.* 378.

aequari quadrato applicatae; inde ſpatium parabolicum determinari docet per dimidium quadratum ſemiordinatae alterius curuae, cuius ſubnormalis applicatae in parabola quadranda aequalis eſt.* Hinc facile eruitur expreſſio $\frac{sm}{e+1}$, pro ſpatio EFH; poſito nempe, vt ipſe autor in ſcholio monet **, $e=1$; vnde $m=s$, et $\frac{ms}{e+1}=\frac{m^2}{2}$ ſiue $\frac{s^2}{2}$. Idem vero per calculum integralem explicatius oſtendi poteſt. Sit enim (*Fig.* 7.) ſpatium $EFH=V$; abſciſſa $EF=s$, et ordinata $FH=m$; erit elementum areae $=dV=m\,ds$. Sed $m=s^e$, et $dm=es^{e-1}\,ds$. Ergo $ds=\frac{dm}{es^{e-1}}$, et $dV=\frac{m\,dm}{es^{e-1}}=\frac{dm}{es^{-1}}=\frac{s\,dm}{e}=\frac{m^{1:e}\,dm}{e}$. Quod ſi integretur, prouenit $\frac{1}{e}\cdot\frac{m^{(1:e)+1}}{\frac{1}{e}+1}=\frac{1}{e}\cdot\frac{m^{(1+e):e}}{(1+e):e}=$ $\frac{1}{e}\cdot\frac{m^{(1+e):e}}{1+e}=\frac{m^{\frac{1}{e}+1}}{1+e}$ (et ob $m^{\frac{1}{e}}=s$) $=\frac{sm}{1+e}$, vt in autore. Eadem ratio computi in *Prop. XXX.* obtinet. In ſequenti *Prop. XXXI.* per methodos quadraturarum inuenitur ſpatium ABD ſequenti modo. Intenſitas BD eſt $=\sqrt{(T^4+T^2)}$. Ergo diff. $=\sqrt{(T^4+T^2)}\,dT=T\sqrt{(T^2+1)}\,dT$. Iam ponatur $\sqrt{(T^2+1)}=u$; erit $T^2+1=u^2$, et $T=\pm\sqrt{(u^2-1)}$, et $dT=\frac{u\,du}{\pm\sqrt{(u^2-1)}}$. Ergo $T\sqrt{(T^2+1)}\,dT=u.\pm\sqrt{(u^2-1)}.\frac{u\,du}{\pm\sqrt{(u^2-1)}}=u^2\,du$, cuius integrale $=\frac{1}{3}u^3+C=\frac{1}{3}u^2.\,u+C=\frac{1}{3}(T^2+1)^{\frac{3}{2}}$ $+C=Q$.

* *Meth. figurar. lin. rectis et curu. comprehenſ. quadrat. determin.* *Problem. III. pag.* 7.
** *Princip. Theol. Mathem. pag.* 62.

$+ C = Q$. Iam ad inueniendam conſtantem C ponatur intenſitas $= 0$, et ideo $Q = 0$; eſt $T^4 + T^2 = 0$, ſeu $T^2 = -1$, vel $T^2 = 0$; adeo vt exiſtant duo valores ipſius T zero, et duo imaginarii. Si igitur dicatur intenſitas G, erit $\sqrt{(T^4 + T^2)} = G$. Vnde $T^2 = -\frac{1}{4} \pm \sqrt{(\frac{1}{16} + G^2)}$, et $T = \pm\sqrt{(-\frac{1}{4} \pm \sqrt{(\frac{1}{16} + G^2)})}$. Vbi patet eſſe ſemper duos ipſius T valores imaginarios, nempe $\pm\sqrt{(-\frac{1}{4} - \sqrt{(\frac{1}{16} + G^2)})}$, et duos reales oppoſitos aequales $\pm\sqrt{(-\frac{1}{4} + \sqrt{(\frac{1}{16} + G^2)})}$. Quia ergo pro $T = 0$ eſt $G = 0$, et $Q = 0$, ſequi, vt ſit $0 = \frac{1}{3} \cdot \sqrt{1^3} + C$, ſiue $-\frac{1}{3} = C$. Itaque erit $Q = \frac{1}{3}(\sqrt{(T^2 + 1)^3} - 1)$, hoc eſt, vt in autore $\frac{1}{3}((T^2 + 1)\sqrt{(T^2 + 1)} - 1) = Q$. Simili modo pro ſpatio ACE inuenitur autoris formula $\frac{1}{3}((t^2 + 1)\sqrt{(t^2 + 1)} - 1)$, quae iam nulla difficultate laborat.

Teſtimonium humanum diuerſi eſſe valoris anonymus in actis Anglicanis * demonſtrauit. Quaenam ſit varietas, et quinam modus illud aeſtimandi, dilucidius paulo proponam: partim quoniam in aſſentando cauendum quam maxime eſt, ne rebus plus iuſto tribuamus, neue probabile pro abſolute vero habeamus, fidemque rebus tribuamus gradibus certitudinis haud proportionalem**; partim vt CRAIGII Principia Theologiae Chriſtianae inde aliquid lucis capiant atque explicationis. Quod ad teſtes, ſiue generatim ad illos attinet, qui rem aliquam narrant, eorum teſtimonium ratione valoris diuerſimode variat, pro tempore nempe et ordine, quo

 rem

* *Philoſophical Tranſact. Vol. XXI. pag. 359.*

** Quod ſufficienter non minus quam ingenioſe perſecutus eſt IAC. BERNOULLI *Art. Coniect. Part. IV. pag. 217.*

rem aliquam retulerint: quod vel *successiue* vel *simul* fieri potest. De successiua narratione primo loco agemus. Quaelibet narratio subsequens cum priori habere potest vim atque efficaciam vel eandem vel diuersam. Sint igitur narrationes omnes valore aequales; sitque valor primae relationis $= \frac{m}{n}$, erit quoque $\frac{m}{n}$ valor narrationis secundae; et valor testimonii ex vtraque relatione, secunda aeque ac prima, subnati $= \frac{m^2}{n^2}$; e tribus relationibus successiuis eiusdem efficaciae $= \frac{m^3}{n^3}$, et sic porro. Quodsi vero narrationum successiuarum diuersa ponitur esse vis, et generatim valor narrationis secundae dicatur $\frac{b}{p}$; erit valor testimonii a prima et secunda relatione profecti $= \frac{mb}{np}$; et posito valore tertiae relationis $= \frac{x}{y}$, et reliquarum subsequentium $= \frac{x \mp \ldots}{y \mp \ldots}$, erit valor testimonii ex tribus relationibus coalescentis $= \frac{mbx}{npy}$, et e pluribus subsequentibus $= \frac{mbx \mp \ldots}{npy \mp \ldots}$. Vnde patescit, valores quorumuis testimoniorum ex relationibus successiuis, inaequalis efficaciae, subnatorum, esse in ratione composita ex valoribus singularum narrationum, sibimet inuicem succedentium. Esto exemplum. Sit valor narrationis cuiuscunque aequalis $= \frac{5}{6}$; et certitudo rei ad quam valores testimoniorum referuntur $= A$; erit valor testimonii per narrationem primam in animo excitatus $= \frac{5}{6}A = B$; valor testimonii per duas relationes productus $= \frac{5}{6}B = C$; per tres relationes $= \frac{5}{6}C$ et sic vlterius. Sit $A = 1200$, per narrationem relatoris primi partem certitudinis nanciscor $= \frac{5}{6}A = 1000 = B$;

per

per relationem ſecundi $= \frac{5}{6} B = 833\frac{1}{3} = C$, rel. Hunc computum qui conſiderauerit, facile peruidebit, eundem cum computo interuſurii, quali LEIBNITIVS olim, et poſt eum alii vſi ſunt, in nonnullis conuenire, atque ſeriem Leibnitianam* a BVLFINGERO illuſtratam ad eum facile reduci, et ad valorem teſtimonii inueniendum adhiberi poſſe. Simile quid anonymus anglus tentauit, ſed ſucceſſu non admodum felici.

Aliter ſe res habet ſi facti alicuius plures *ſimul* ſunt narratores, quorum relationes aequali probabilitatis gradu ſunt conſpicuae. Sit valor cuiuslibet narrationis $= \frac{a}{a+c}$, quem ſi mihi exponit primus quisque narrator, non relinquit niſi $\frac{c}{a+c}$ quin habeam $\frac{a+c}{a+c}$ h. e. integrum certitudinis valorem. Iam eodem tempore alius ſuperueniat narrator, ad conſequendam rei certitudinem eundem probabilitatis gradum mihi afferens, non quidem integrae certitudinis, ſed tantum reſidui antecedentis $\frac{c}{a+c}$; ita quidem, vt ad obtinendam plenam certitudinem, poſt duorum teſtium relationes, tantum opus ſit $\frac{c(a+c)-ac}{(a+c)^2} = \frac{c^2}{(a+c)^2}$. Accedentis tertii teſtis ſimul facta narratio huius reſidui rurſus $\frac{a}{a+c}$ probabilitatis eiusmodi partes addit, quales in valore teſtimonii a duobus narratoribus profecti expreſſae erant; igitur valori integrae certitudinis poſt triplicem narrationem tantum deeſt $\frac{c^2(a+c)-ac^2}{(a+c)^3} = \frac{c^3}{(a+c)^3}$; per

 quar-

* *Act. Erudit. MDCLXXXIII. pag. 425. ſeqq.*

quartam narrationem ſimul dictam tantum relinquitur $\frac{c^3(a+c)-ac^3}{(a+c)^4} = \frac{c^4}{(a+c)^4}$; et per x relationes remanet $\frac{c^x}{(a+c)^x}$. Haec ſequenti exemplo illuſtrantur. Sit mihi ab aliquo narratore conſequendae alicuius rei certitudinis valor $= \frac{5}{6}$. Integra igitur certitudo conſtat ex $\frac{6}{6}$, et vnus tantum ſextans reſtat ad habendam plenam certitudinem. Iam huius ſextantis per alterum eodem tempore ſuperuenientem narratorem rurſus $\frac{5}{6}$ adduntur ad valorem narrationis prioris; adeo vt duae ſimul dictae narrationes valorem teſtimonii dent $\frac{35}{36}$; tres narrationes $\frac{215}{216}$; quatuor narrationes $\frac{1295}{1296}$; quinque narrationes $\frac{7775}{7776}$.

Hinc palam eſt, in orali traditione probabilitatem narrationis creſcere ſecundum numerum teſtium, factum aliquod vel ſimul narrantium vel ſucceſſiue ad poſteros ttanſmittentium. Quodſi v. c. rei alicuius geſtae quatuor ſint teſtes, eiuſdem autoritatis, et aeque fide digni, quorum primus narratione ſua det $\frac{1}{2}$ certitudinis: ſecundus eandem hiſtoriam narraturus certitudinis reliquae addet itidem $\frac{1}{2}$; adeo vt valor teſtimonii ex duplici narratione conſtantis ſit $\frac{3}{4}$, valor ex triplici narratione $\frac{7}{8}$, et ex quadruplici $= \frac{15}{16}$, et ſic porro. Iam oralem traditionem, non poſſumus negare, variis mutationibus fortuitis obnoxiam eſſe, neque poſt longam annorum ſeriem eiuſdem manere valoris, ſi circumſtantias hiſtoriae adhaerentes omnes numeramus. Sed officio ſuo teſtis plerumque ſufficere creditur, ſi ſummam facti narrauerit, propriis rei attributis hinc inde neglectis. Vt ſi quis Alexandrum M. fuiſſe teſtetur, alterum idem comprobantem non falſitatis

ſitatis arguimus, ſi vel maxime ignorat, quod virtutibus et vitiis patre maior, ſe genitum Ioue credi Alexander imperauerit. Vtcunque haec ſe habeant, teſtimoniorum tamen valori optime conſulitur per exemplaria ſcripta: quorum quidem multitudine non tantum conſeruatur, verum etiam inſigniter augetur; ſiue, quod idem eſt, euentuum fortuitorum, certitudinem facti quouis modo obnubilantium, effectus tanto minor eſt, quanto maior exemplarium impreſſorum et conſentientium multitudo. Praeterea exemplaria ſcripta et impreſſa facilius ſimul haberi, et ad corroborandum idem teſtimonium melius concurrere, quam ipſi teſtes poſſunt; vt humani teſtimonii elapſis vicenis annis ad certitudinem ſi proportionem ponis 1 : 3, eadem forte proportio eſſe exemplaris ſcripti poſt centum aut ducentos annos poſſit. Quare ſi teſtimonium aliquod per diuerſas exemplarium ſeries ad poſteros propagetur, autoritas et valor eius ſucceſſu temporis aliquanto maior fit, quam ſub ipſis exemplarium natalibus fuerit. Interim aduerſus teſtimonia ſcripta ſuſpicio ſemper mouetur, quod quo plura eiuſdem hiſtoriae facta fuerint apographa, eo maiori deprauatione illa ipſa, materia libri peruerſa inſertisque falſis, corrupta ſit. Et hoc illud eſt telum, quo conficere Craigivs allaborat, qui probabilitatem hiſtoriae cuiuſdam poſt longam temporis intercapedinem creſcere oportere defendunt: non animaduertens, pluribus eiuſdem teſtimonii ſuceſſionibus aequalis vel diuerſae efficaciae, probabilitatem propius certitudinem admoueri, vt iam in ipſiſſima eius vicinia agere videatur.

Ex antecedentibus colligitur, teſtium quemque ſucceſſiuorum minorem quidem certitudinis gradum afferre; integrae autem certitudini continue aliquid accreſcere, hoc nempe, quod ei deerat, per ſubſequentes narrationes ſemper imminuto. Quod non attendere ſatis videntur, qui facti cuiuscunque probabilitatem pro ratione temporis decreſcere, nec illi, qui ſuccreſcere eandem potius oportere ſtatuunt. Namque ad ſeriem valorum omnium narrationum vel ſucceſſiue, vel ſimul dictarum, vt completus habeatur certitudinis valor, ſupplementum aliquod accedit, quod augeſcente valorum (ſiue terminorum) numero in eiusmodi ſerie conuergente, ſiue ad plenam certitudinem appropinquante, ſemper decreſcit, donec, data quauis quantitate minus, abſque erroris periculo negligi poſſit. Imo tantum abeſt, vt diſtantia locorum et annorum ſeries valorem certitudinis diminuere poſſit, vt potius his ipſis mediis non raro ad eandem propius accedatur.

Neque hoc loco praetermittere poſſum, Craigivm mihi in eo falſum videri, quod de fide in rebus diuinis dixerit, quae ne quidem in rebus humanis vbique locum habent. Hoc ex iis perſpicitur, quae ſupra de teſte infinitae autoritatis, atque de pluribus teſtibus diuinitus colluſtratis adduxi: quorum quippe teſtimonium et autoritas ſupplet, quod certitudini, quin plena et integra ſit, in humanis narrationibus deeſſe ſolet, fidemque gignit conuictionis pleniſſimam. Illa igitur, quae eſt de fide et perſuaſione Craigii ſententia ad humanam conditionem ſpectare ad ſummum poteſt. *Fides mentis eſt perſuaſio, qua propter media ex probabilitate deducta quasdam*

dam propositiones veras esse credimus. Ita CRAIGIVS. Sed vnde probabilitas in rebus reuelatis? Si qua inesse creditur, ea certe infinita est, quae in certissimam certitudinem abiens scientiam in animis hominum et conuictionem producit. Neque inconsuetum est, fidem in rebus sacris pro ipsa sanctissima nostra religione accipi, quam nemo vnquam, nec ipse CRAIGIVS, computi legibus subiici posse aut debere putauit. Quare Amplissimi KAESTNERI verba * hic nostra facimus: *Nihil omnino totam de certo et probabili disquisitionem ad fidem, qua religionis mysteriis venerabundi adsensum praebemus, spectare, cum eius certitudinem, geometrica non inferiorem, sublimior vis, quam quae logicae subiacet intellectus humani, operetur.*

Atque haec ad illustrandum CRAIGII libellum in praesens sufficiant, pro officii ratione speciminis aliquid cum edendum sit. Imperauit enim SERENISSIMVS AC POTENTISSIMVS PRINCEPS, FRIDERICVS AVGVSTVS, REX POLONIAE, MAGNVS DVX LITHVANIAE, PRVSSIAE ALIARVMQVE REGNO IVNCTARVM PROVINCIARVM, DVX SAXONIAE, S. R. I. ELECTOR ET ARCHIMARESCHALLVS, CET. DOMINVS MEVS CLEMENTISSIMVS, vt in hac illustri Academia mathemata inferiora publice doceam. Hanc igitur REGIAM CLEMENTIAM deueneraturus, munus indulgentissime mihi demandatum, d. XXIII. Aprilis, solemni oratione *de mathesi superficiaria, siue in alieno aedificante* ad SENECAE locum *Epist. LXXXVIII.* auspicabor.

* Progr. quo *gradus et mensuram probabilit. dari defendit*, p. 4.

cabor. Ad eam audiendam RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, COMITES ILLVSTRISSIMOS, ACADEMIAE PROCERES, CIVES GENEROSISSIMOS, PRAENOBILISSIMOSQVE, quo decet cultu et ſtudio inuito. Peracta inauguratione, eadem die hora prima a meridie lectionum publicarum in auditorio maiori initium faciam, et, quam per aeſtatem abſoluere conſtitui, Mechanicae primordia tradam. Quare Commilitonum Praenobiliſſimorum ſuo quoſque ordine et loco, vt his lectionibus frequentes interſint, etiam atque etiam rogo. P. P.

Ipſo Paſchatos Feſto MDCCLVI.

VITEMBERGAE

TYPIS IO. FRIDER. SCHLOMACHII

IOANNIS CRAIG

RINCIPIA
OLOGIAE CHRISTIANAE
MATHEMATICA

ILLVSTRAT

ET

ALORE TESTIMONII HVMANI

NONNVLLA SVBIICIT

SIMVL

AD AVDIENDAM

ORATIONEM

QVA

MVNVS

SORIS MATHEMATVM INFERIORVM

PVBLICVM ORDINARIVM

EMENTISSIME SIBI DEMANDATVM

D. XXIII. APRIL. MDCCLVI

AVSPICABITVR

HVMANITER ET OFFICIOSE

INVITAT

OANNES DANIEL TITIVS